



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

X. Hugutio in Angliam missus ab Alexandro III. susceptus quidem est ut Legatus, sed quia eum mitti postulaverat Henricus II. Rex.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

enim Legatis præstare tenebantur Episcopi earum regionum ad quas illi mittebantur, ut supra diximus. Vnde argumentum trahere potuisset Petrus susceptam fuisse ab Episcopis & Abbatibus Anglicanis legationem suam, si diversatus apud Ecclesias aut monasteria, procuratus ab illis fuisset. Sapienter itaque Rex Henricus ad excipiendum Legatum mittens nonnullos, eis, *prudenti usus consilio*, inquit Eadmerus, *injunxit quatenus iter ejus ita disponerent ut post ingressum Angliæ nec Ecclesias nec monasteria quolibet, ad se tendens, hospitandi gratia ingrederetur, nec aliunde quam de suis victus necessaria ei ministrarentur.*

IX. Parem repulsam passus in Anglia fuerat ipse Callistus sub Paschali secundo; à quo cum in regnum missus fuisset cum auctoritate Legati, ei auctoritati sic contradictum est ut nullum Legati officium exercuerit. Hæc sunt verba Eadmeri: *Eodem anno venit in Angliam Guido Archiepiscopus Viennensis \* functus, ut dicebat, legatione totius Britannicæ ex precepto & auctoritate apostolicæ sedis. Quod per Angliam auditum, in admirationem omnibus venit; inauditum scilicet in Britannia cuncti scientes quemlibet hominum super se vices apostolicas gerere nisi solum Archiepiscopum Cantuariæ. Quapropter sicut venit, ita reversus est, à nemine pro Legato susceptus, nec in aliquo Legati officio functus.*

X. Anno MCLXXV. missus quidem in Angliam est Legatus Hugo sive Hugutio Tituli sancti Michaëlis Cardinalis, & susceptus ut Legatus. Sed adnotandum est illum à Rege Henrico secundo petatum fuisse. Rogerius de Hoveden: *Eodem anno, paulò ante festum omnium sanctorum, applicuit in Angliam quidem Cardinalis nomine Hugezum, apostolicæ sedis Legatus, pro quo Dominus Rex Romam miserat. Et invenit Dominum Regem apud Wintoniam; & Dominus Rex venit ei obviam, & Henricus filius ejus cum eo, & cum debito honore susceperunt.* Narrat deinde Hovedenus illum convocasse Concilium apud Westmonasterium, cujus celebratio impedita fuit ob contentionem de præfessione inter Archiepiscopos Cantuariensem & Eboracensem; qui sanè primum locum cedebant Legato, sed uterque à dextra ejus federe volebat.

XI. Anno sequenti editum est in Anglia magnum exemplum auctoritatis Principum, quod apprimè congruit cum moribus nostris. Miserat Alexander III. Legatum in Scotiam Vivianum. Is verò ut in Scotiam proficisci commodius posset, per Angliam sibi putavit esse pergendum. Quod cum Regi nuntiatum fuisset, statim ad illum misit qui ab eo peterent qua auctoritate fa-

ctum erat ut in Angliam intrasset absque ipsius permisso; ac non antè permissus est ultra progredi quàm jurasset quòd nihil præsumeret de potestate Legati contra voluntatem Regis. Docet nos ista idem Hovedenus his verbis: *Eodem anno Alexander Papa misit Vivianum Presbyterum Cardinalem apostolicæ sedis Legatum in Scotia & in insulis circumjacentibus, & in Hybernia, & in Norvegia, ad causas ecclesiasticas audiendas & determinandas secundum quod Deus ei administraret. Qui cum in Angliam veniret, Dominus Rex misit ad eum Richardum Wintoniensem & Gaudisfridum Eliensem Episcopos, ut interrogarent eum cujus auctoritate ausus erat intrare in regnum suum sine licentia ipsius. His igitur interrogationibus prædictus Cardinalis plurimum territus, de satisfactioe juravit Regi quòd ipse nihil ageret in legatione sua contra voluntatem ipsius. Et sic data est ei licentia transire usque in Scotiam.*

XII. Anno MCCXLV. inter varia gravamina quæ in Concilio Lugdunensi proposita sunt nomine totius regni Angliæ, etiam illud additum est, Martinum, cujus superius fecimus mentionem, in Angliam venisse sine Domini Regis licentia. Deinde procuratores universitatis Angliæ, de eodem Martino loquentes, aiunt istud factum esse privilegio Regis admodum derogando, per quod ei à sede apostolica specialiter indulgetur ne quis in Anglia legationis fungatur officio, nisi à Domino Rege specialiter postulatus. Percussus improvisa interrogatione Innocentius IV. nihil respondit; sed postulata Anglorum elusit rarissima moderatione, rem esse dicentis quæ morosa deliberatione indigeret, inditanter tamen se responsa daturum pollicendo.

## CAPVT LVII.

## Synopsis.

I. Scotia tum islem penè moribus vivebat quibus Anglia. Cum Scoti frequentia Legatorum urgerentur, isti tandem pervicerunt à Clemente III. Pontifice Romano, ut nulli qui Scotus non esset liceret officium legationis exercere in Scotia, nisi forte ei quies de corpore suo sedes apostolica specialiter designaret.

II. Hoc privilegium à sequentibus Pontificibus confirmatum est.

III. Verùm cum nec si quieta aut secuta esset Scotia à rapacitate & tyrannide Legatorum, restituta est ut non ita multò post Scoti liberrima Episcopi cujusdam oratione commoti Legatum quendam, qui recenter advenerat, repulerint.

IV. Factum id bono exemplo & in posterum profuturo. Nam sub Clemente IV. Legatus ab commissus, extra fines Scotia subsistere jussus est ac per litteras mandata exponere, denique in regnum admissus non est.

V. Quare existimandum est Ottonem, cui Gregorius IX. commissis legationem Scotia, aut admissum

Eadmer. lib. 3.  
pag. 9.

\* functus

Vid. lib. 10.  
142.

Met. lib. 10.  
142.

Vid. lib. 10.  
142.

Vid. lib. 10.  
142.

Vid. lib. 10.  
142.

Vid. lib. 10.  
142.